



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1674

III. Ad Chrysogonum monachum. Qui circa te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

LIBER PRIMUS.

æquo gradu certamina concitare. Quanquam
ita me jugis tam corporis ægrotatio, quàm ani-
mæ agritudo consumpsit, ut morte imminente
nec mei penè memor fuerim. Quod ne falsum
putes, oratorio more post argumenta testes vo-
cabo. Sanctus frater Heliodorus hîc adfuit, qui
cum mecum eremum vellet incolere, meis scele-
ribus fugatus abscessit. Verùm omnem culpam
præsens verbositas excusabit. Nam, ut ait Flac-
cus in Satyra: Omnibus hoc vitium est cantori-
bus inter amicos rogati, ut nunquam cantent, in-
jussi nunquam desistant. Quapropter deinceps
ita te fascibus obruam literarum, ut econtrario
incipias rogare, ne scribam Sororem meam fi-
liam in Christo tuam, gaudeo te primùm nunti-
ante, in eo permanere, quod cœperat. Hîc enim
ubi nunc sum, non solum quid agatur in patria,
sed an ipsa patria perstet, ignoro. Et licet me fini-
stro * Hiberna excetra ore dilaniet, non timebo
hominum judicium, habiturus judicium meum:
juxta illud, quod quidam ait: Si fractus illabatur
orbis, Impavidum ferient ruinæ. Quapropter
quæso, ut Apostolici memor præcepti, quod docet
opus nostrum permanere debere, ut tibi à Domi-
no præmium in illius salute pares: & me de com-
muni in Christo gloria crebris reddas sermoni-
bus latiore.

* aliàs
Hiberna
excetra-
rum ora.
Horti-
tius,
1. Cor. 3.

III. Hieronymus Chryfogeno Monacho Agni-
leia, cum illo expostulans quod non scribas.

QUI circa te affectus meus sit, charissimus
ambobus Heliodorus tibi potuit fideliter

nuntiare: qui non minore te diligit amore, quam ego diligo, ut semper in ore meo nomen tuum sonem: ut ad primam quamque confabulationem jucundissimi mihi consortij recorder, ut humilitatem admirer, virtutem efferam, prædicem charitatem: Verum tu, quod natura lynces insutum habent, ne post tergum respicientes meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi videre desierint: ita nostra es necessitudinis penitus oblitus, ut illam epistolam, quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parvilituram, sed imis (ut ajunt) ceris eraseris. Et illi quidem (quas diximus) ferae sub frondente captantes arboris ramo fugaces capreas, aut timidum * cervos animal comprehendunt, currentemque frustra prædam, dum hostem suum secum vehit, rabido desuper ore dilaniant, & tandem diu meminere prædandi, quamdiu venter vacuus siccum fame guttur exasperat. Ubi vero sanguine passa feritas viscera distenta compleverit, cum saturitate succedit oblivio: tamdiu nescit quid * capiat, donec memoriam revocaverit furies. Tu necdum satiatus è nobis, cur finem jugis exordio? cur amittis, antequam teneas? Nisi forte negligentia semper excusatione sociata, seras te non habuisse quod scriberes: cum hoc ipsum debueris scribere, te non habuisse quod scriberes.

*Lynces.**I Cor. 3.*** aliàs,
porcum.*** aliàs
capiat.*